

- PARS II

DE IUDICIO CONTENTIOSO

De causae introductione (1501-1512)

Actio iudicialis introduci non potest sine formali petitione promotae vel ab eo cuius interest vel a promotore iustitiae.

Generatim haec petitio scripto facienda est seu libello.

Si tamen postulator libellum exhibere impediatur aut causa facilioris investigationis et minoris momenti sit, petitio viva voce fieri potest, cuius tamen actus a notario scriptus postulatore legendus est et ab eo probandus.

Libellus proponit clare nomen actoris, iudicis et partis conventae; domicilium actoris et partis conventae; facta quae petitioni locum dederunt; jus quo haec nititur; obiectum petitionis; diem, mensem et annum; subscriptum nomen actoris vel eius procuratoris.

Ex his iudex vel Tribunalis collegialis praeses aestimabit num ipse competens sit et actio admittenda vel reicienda.

Libellus reici potest tantum:

- si iudex vel Tribunal incompetens sit;
- si constet actori legitimam deesse personam standi in iudicio;
- si libellus vitiatus sit;
- si petitio careat quolibet fundamento.

Contra reiectionem libelli duplex via actori patet: emendatio libelli, si libellus reiectus fuerit ob vitia emendabilia; altera via est

recursus ad Tribunal appellationis vel ad collegium intra decem dies utiles.

Si iudex continuo mense ab exhibito libello decretum de admissione vel reiectione libelli non ediderit, pars cuius interest instare potest ut iudex munere fungatur. Iudice adhuc silente, lapsis decem diebus a facta instantia, libellus pro admissio habeatur.

ANNOTATIO: Notum praeceptum «qui tacet consentire videtur» libellum pro admissio reddit.

DE CITATIONE ET DENUNTIATIONE ACTORUM IUDICIALIUM

In iure canonico citatio seu in jus vocatio ab iudice vel praeside proficiscitur, qui ceteras partes citare debet ad litem contestandam. Proinde si partes sponte se sistant, iudex renuntiare potest; quod actuarius in actis semper significabit.

Si libellus pro admissio habetur ad normam can. 1506 (v.g. ope legis), decretum citationis intra viginti dies fieri debet a facta instantia.

Citatio denuntiatur parti conventae et simul ceteris qui comparere debent. Nisi iudex aliter censeat propter graves causas, citationi libellus litis introductorius adiungatur.

Si pars conventa liberam administrationem rerum de quibus disceptatur non habet, citatio eius parentibus, tutori, curatori denuntianda est.

Notificatio citationum, decretorum, sententiarum aliorumque iudicialium actorum plerumque facienda est per publicos tabellarios vel alio tuto modo.

Vitia citationis nullitatem processus actorum efferunt, nisi partes litigantes de facto coram iudicem se sponte siserint ad causam agendam.

Cum citatio legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium venerint:

– res desinit esse integra, idest causa iuridicum statum ita mutavit ut libellus vel partim iam mutari non possit;

– causa fit propria illius iudicis coram quo actio instituta est, ideoque – si plures sint iudices competentes – praeventio huic Tribunali favet;

– in iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non expiret resolutio iure delegantis;

– interrumpitur praescriptio;

– lis pendere incipit et ideo statim locum habet principium: «lite pendente nihil innovetur».

ANNOTATIO: Notatur facultas traditionis ad partem conventam libelli introductorii una cum citatione.

De litis contestatione (1513-1516)

Formalis conventi contradictio petitioni actoris, facta animo litigandi coram iudice, litis contestatio nominatur.

Ad litis contestationem sufficit ut, comparentibus partibus coram iudice, petitio actoris et contradictio conventi inseratur in actis, unde constet qua de re agatur seu quinam sint controversiae termini.

In causis implicatioribus, iudex ex officio partes citare debet ad causae dubia concordanda. Si partes de dubiis conveniant, formula decreto firmatur.

Decretum partibus notificandum est.

Si autem partes non consenserint, ad mutandam formulam novum decretum requiritur post earum recursum ad ipsum iudicem intra decem dies.

Termini controversiae, semel statuti, mutari valide nequeunt, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis lato et audita altera parte.

Lite contestata:

– possessor rei alienae desinit esse bonae fidei, quapropter – si damnatus fuerit – rem restituere debet cum fructibus;

– iudex debet congruum tempus partibus constituere probationibus proponendis et explendis.

De litis instantia (1517-1525)

Instantia litis seu exercitium actionis incipit litis contestatione.

Causa nondum conclusa, instantia suspenditur si pars litigans moriatur aut statum mutet aut ab officio cesset; suspensio cessat statim ubi heres defuncti vel successor litem instaurabit. Causa conclusa, iudex ad ulteriora procedere debet, citato procuratore secus defuncti successore.

Instantia pariter suspenditur, si procurator vel curator a munere cesset quamdiu in locum procuratoris vel curatoris alius nominatus fuerit.

Instantia ipso jure et adversus omnes extinguitur seu perimitur omissione libera omnis actus processualis per sex menses.

Peremptione causae extinguitur acta processus, non autem acta causae, quae vim habere possunt in alia instantia.

Peremptio ex officio declarari debet.

Expensas perempti iudicii, quas partes fecerint, ipsae ferunt.

Actor et conventus renuntiare possunt actis iudicialibus in quolibet statu et gradu iudicii.

Renuntiatio ut valeat, debet peragi in scriptis, fieri personaliter vel mandato speciali, ab altera parte renuntiationis certiore facta non impugnari, a iudice admitti.

Effectus eius sunt iidem ac peremptionis, sed expensae actorum a renuntiante solvendae sunt.

ANNOTATIO: Termini peremptionis, qui ex Codice 1917 praefinebantur biennium vel annum, in unum reducti sunt.

De probationibus (cann. 1526-1586)

Probatio definitur: rei dubiae et controversae ostensio iudici facta per legitima argumenta.

Potissimum probationes ratione fontis dividuntur in directas et indirectas.

Onus probandi incumbit ei qui asserit.

Non indigent probatione: quae ab ipsa lege praesumuntur; facta ab uno ex contententibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.

Cuiuslibet generis probationes adduci possunt, quae utiles videantur ad causam cognoscendam; si pars instet ut probatio reiecta a iudice admittatur, ipse iudex rem expeditissime definiat.

Parte vel teste abnuituris ad coram iudice respondendum, licet iudici eos audire etiam per laicum designatum aut requirere eorum declarationem coram publico notario vel quovis alio legitimo modo.

Ad probationes colligendas non licet procedere ante litis contestationem, nisi ob gravem causam.

DE PARTIUM DECLARATIONIBUS

Confessio potest esse iudicialis et extraiudicialis.

Confessio iudicialis est assertio in scriptis aut oretenus de aliquo facto peracta coram iudice, sive sponte sive iudice interrogante.

Pars legitime interrogata respondere debet et veritatem integre fateri. Quod si respondere recusaverit, iudicis est aestimare quid ad factorum probationem exinde erui possit.

Quibus in casibus bonum publicum in causa est, iudex partibus iusiurandum de veritate dicenda deferat. Partes, promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos super quibus pars interrogetur. Confessio iudicialis unius partis relevat alteram ab onere probandi.

Confessio extraiudicialis est confessio, sive scriptis sive oretenus, extra iudicium facta. Quoad extraiudicalem, iudicis est aestimare quanta facienda sit, perpensis omnibus rerum adiunctis.

ANNOTATIO: Poenae et regulae, quae ornabant confessionem partis in Codice 1917, abrogatae sunt, quod iudex libere interpretari possit partium silentium.

DE PROBATIONE PER DOCUMENTA

In sensu stricto scriptura ex quo factum comprobari potest documentum dicitur.

Ratione auctoris documentum dividitur in publicum et privatum, ratione originis in authenticum et exemplare.

Nisi contrariis argumentis aliud evincatur, documentum publicum fidem facit.

In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.

Documenta publica sunt ecclesiastica et civilia, quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.

Documenta privata probant adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab eis habentes, eodem modo sicuti confessio extraiudicialis.

Documenta vim probanti in iudicio habent, si sint in originali aut in exemplari authentico exhibita.

Nemo tenetur exhibere documenta quae communicari nequeunt sine periculo damni aut violationis secreti servandi.

ANNOTATIO: Animadvertitur prompta documentorum definitio, quae instrumenta numquam vocantur.

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS

Testes iudici legitime interroganti respondere et veritatem fateri debent. Eximuntur ab hac obligatione:

1. clerici quoad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii, civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui ad secretum officii tenentur etiam ratione praestiti consilii;

2. personae quae ex testificatione sua sibi vel coniugi vel proximis consanguineis vel affinibus periculosam vexationem aliave mala gravia obventura timent.

Omnes testes esse possunt, nisi expresse a iure vel in totum vel ex parte repellantur.

Repelluntur a ferendo testimonio minores infra decimum quartum aetatis annum et mente debiles; audiri tamen ex decreto iudicis poterunt.

Incapaces habentur: qui sunt in causa partes aut partium vice funguntur; iudex eiusve assistentes, advocati aliique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt; sacerdotes quoad ea quae ipsis ex

confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint.

Pars testem inducens potest eius examini renuntiare, sed adversarius postulare potest ut testis examini subiciatur.

Partes tenentur nomina et domicilium Tribunali indicare et exhibere articulos argumentorum super quibus testes sint interrogandi.

Iudex jus et obligationem habet nimiam multitudinem testium refrenandi. Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina saltem ante publicationem testificationum ut testem reprobare possint.

Testes sunt examini subiiciendi in ipsa Tribunalis sede. Ad hac regula excipiuntur: Cardinales, Patriarchae, Episcopi et ii qui simili favore gaudent ex suae civitatis jure; qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut condicione vitae Tribunalis sedem adire nequeunt; qui extra dioecesim degunt aut commorantur.

Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex eas admittat. Assistere tamen possunt earum advocati vel procuratores.

Examen testis fit a iudice vel ab eius delegato. Promotor iustitiae, defensor vinculi, advocati, si alias interrogationes testi faciendas habeant, has non testi proponant sed iudici ut eas ipse deferat.

Testes ore testimonium dicant et eorum responsio redigenda est scripto a notario. Denique actum debet testis subscribere cum iudice et notario.

Testes iam excussi ad novum examen vocari possunt.

Testis jus habet ad obtinendam aequam taxationem propter expensarum refusionem.

Est iudicis testimonia aestimare et ipse libere aestimat vim testimoniorum. Unius testis depositio plenam fidem facere non potest, nisi agatur de teste qualificato.

ANNOTATIO: Admissio advocati vel procuratoris examini testium.

DE PERITIS

Periti adhibendi sunt in causis in quibus a factis per attestaciones notis ad ignota quaedam ope ratiocinii scientifici deveniendum est.

Iudex propria auctoritate peritos designat, auditis vel proponen-

tibus partibus aut relationes iam factas assumere ab aliis, si casus ferat.

Periti recusari possunt ob easdem causas ac testes reprobantur.

Iudex decreto definiat quid agere, intra quodnam tempus examen perficere et votum praesentare. Votum peritorum in scriptis subsignatur. Perspicue ab ipsis iudicanda sunt cum via qua ad sententiam pervenerunt, tum argumenta quibus potissimum nititur. Accessiri peritus potest ab iudice ut explicationes suppeditet.

In aestimatione voti peritorum iudex non tantum conclusiones sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat et in decisione exprimere debet, quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.

Expensas et honoraria peritorum taxare iudicis est.

Partes designare possunt peritos privatos ab iudice probandos.

DE ACCESSU ET DE RECOGNITIONE IUDICIALI

Potest esse valde utile vel necessarium ut iudex ad controversiae locum accedat et inspectione oculata recognoscat.

Quod si iudex eiusmodi accessum et inspectionem iudicalem necessariam existimet, decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus.

Notarius peractae recognitionis instrumentum conficiat.

DE PRAESUMPTIONIBUS

Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura seu iudicium probabile de veritate rei incertae desumptum plerumque ex pluribus factis vel iudiciis.

Praesumptio alia est juris, quae ab ipsa lege statuitur et ideo pro vero et probato habeat quod ex certis factis est verisimilius; alia est hominis, quae ab iudice conicitur, idest quam legislator prudenti iudicis deductioni permittit.

Qui habet pro se juris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam.

Iudex ne coniciat praesumptiones quae non statuuntur a jure, nisi ex facto certo et determinato quod directe cohaereat cum controverso.

De causis incidentibus (1587-1597)

Causa incidens est quaestio quae – tametsi libello non continetur expresse – nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

Proponitur causa incidens vel oretenus vel per libellum coram iudice competenti ad causam principalem definiendam.

Iudicis est, auditis partibus, libellum vel instantiam admittere vel reicere aut solvi debeat per sententiam interlocutoriam vel per decretum.

Si causa incidens solvi debeat per sententiam, serventur normae de processu contentioso orali, nisi aliud videatur ex rei gravitate; si per decretum, Tribunal rem committere auditori vel praesidi potest.

Decretum vel sententia revocari aut reformari potest iusta intercedente ratione, antequam finiatur causa principalis, auditis partibus.

Decreto, quo petitio de causa incidenti reicitur, appellatio non datur.

ANNOTATIO: Nova disciplina exclusit attentata lite pendente.

DE PARTIBUS NON COMPARENTIBUS

Absentia habetur quotiens pars – post citationem rite factam et intimatam – nullo impedimento detenta, neque per se, neque per procuratorem comparet vel si, postquam primae citationi obtemperavit, in progressu iudicii iam non comparet.

Iudex partem declarare absentem potest per decretum et postquam constituerit citationem legitime factam esse ac tempore utili.

Quoad absentiam, triplex casus examinandus est, scilicet absentiae solius conventi, solius actoris, utriusque partis.

Si conventus dein in iudicio se sistat aut responsum dederit ante causae definitionem, probationes conclusionesque afferre potest; ideoque concedi possunt ei media impugnationis necnon querela nullitatis.

Si actor non comparuerit neque idoneam excusationem attulerit, iudex eum citet iterum et – si novae citationi non paruerit – praesumitur instantiae renuntiasse; quod, si postea in processu intervenire

velit, conclusiones probationesque afferre potest.

In absentia utriusque partis iudex litem peremptam declarare potest, et tum actor tum conventus obligatione in solidum tenentur expensas litis solvendi. E contra, sola pars absens a iudicio, quae iustum impedimentum non comprobaverit, tenetur obligatione solvendi litis expensas, quae factae sunt ob ipsius absentiam.

ANNOTATIO: «Absentia» reponit verbum «contumacia», de qua in can. 1842 Codicis 1917.

DE INTERVENTU TERTII IN CAUSA

Causae aguntur inter actorem et conventum; contingere tamen potest ut etiam tertia persona interesse habeat in causa, quae ideo petere potest ut admittatur ad iudicium.

Duplex distinguitur interventus: voluntarius alter, alter necessarius.

Interventus voluntarius admitti potest in qualibet litis instantia, sed – ut admittatur – debet is, qui admissionem petit, ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter de jure interveniendi ipsum edoceat.

Admissionem definit iudex.

Interventus necessarius est qui ex officio intervenire in causa iubetur, auditis partibus, si ipse utilis pro bono communi existimetur.

ANNOTATIO: Ab interventu tertii in causa distinguitur successio ad actionem prosequendam, quae legitimationem ad agendum fert.

De actorum publicatione, de conclusionem in causa et de causae discussione (1598-1606)

Finata probatione, ante causae discussionem et sententiam, omnia acta nondum nota apud Tribunalis cancellariam inspiciuntur partibus et earum advocatis; in causis ad bonum publicum spectantibus potest iudex actum nemini manifestandum esse decernere ad gravissima pericula vitanda.

Partes novas probationes afferre possunt.

Iudex decretum ferre debet conclusionis in causa quo scilicet clauditur periodus probationum.

Post conclusionem in causa novae probationes inhihentur; tunc tantummodo iudex vocare potest eosdem testes vel alios aut alias probationes, si agatur de casibus explicatis in canone 1600.

Causa conclusa, iudex partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones vel animadversiones exhibendas.

Defensiones et animadversiones in scriptis sunt conficiendae, nisi iudex – consentientibus partibus – disputationem satis esse censeat, Tribunali sedente.

Defensionibus vicissim inter partes communicatis, licet utrique parti responsiones exhibere intra breve tempus a iudice praestitutum.

Disputationi orali assistat notarius, ut de disceptatis et conclusis scripto statim referre possit.

Causa plane perspecta ex actis et probatis, iudex potuit sententiam pronuntiare, requisitis animadversionibus promotoris iustitiae vel defensoris vinculi.

ANNOTATIO: Nova optio iudicis admittendi novas probationes post decretum conclusionis in causa, necnon oralis disputationis admissio.

De iudicis pronuntiationibus (1607-1618)

Sententia vocatur: legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractam (can. 1868 ex Codice 1917); ceterae iudicis pronuntiationes decreta sunt.

Sententiae dividuntur in definitivas et interlocutorias, prout causam principalem vel incidentem dirimunt.

Ad sententiam ferendam certitudo moralis requiritur, quae oritur ex actis et probationibus. Quotiens certitudo moralis acquiri non potuit, conventus est definitive absolvendus, nisi agatur de causa juris favore fruente.

Sententia in ipsa Tribunalis sede profertur: in loco et tempore designatis, singuli iudices afferunt scripto exaratas suas conclusiones

rationesque; si iudices in prima ad sententiam non advenerint, intra hebdomatam nova discussio haberi potest et debet. Sententia exaranda est a iudice, si unicus est; a ponente seu relatores, si Tribunal est collegiale.

In sententia duae partes distinguuntur: altera dispositiva, quae iura aestimat et sancit, altera quae motiva definitionis continet.

Sententia edenda est non ultra mensem a die quo causa definita est, nisi ex gravi ratione longius tempus praestitutum sit.

Si fiat appellatio, conclusiones iudicis, qui ad aliorum decisionem accedere noluit, transmittantur ad Tribunal superius.

Publicatio sententiae quam primum facienda est, iudicatis modis quibus impugnari ea potest, et fieri potest vel tradendo exemplar partibus aut earum procuratoribus vel eisdem transmittendo per publicos tabellarios.

Si in sententiae textu error in calculis irreperit vel materialis acciderit, sententia ab ipso Tribunali per decretum corrigi vel compleri debet ex officio sive ad instantiam partis.

ANNOTATIO: Nova animadvertenda sunt: altera Tribunalis discussio ad sententiam deveniendam; publicatio sententiae non ultra mensem; transmissio ad Tribunal superius conclusionis iudicis, qui noluit accedere ad aliorum decisionem, si appellatio fiat.

De impugnatione sententiae (1619-1640)

DE QUERELA NULLITATIS CONTRA SENTENTIAM: Remedia juris contra sententiam sunt media partibus lege concessa, quibus se tueri possint contra gravamina processualia.

Remedia dividuntur in ordinaria et extraordinaria. Ordinaria ab extraordinariis distingui possunt aut conditione personarum quibus conceduntur aut tempore quo eius usus permittuntur.

Firmis praescriptis de quibus in canonibus 1622 et 1623, nullitates actuum, quae non sint ante sententiam iudici denunciatae cum essent notae partibus, per ipsam sententiam sanantur, nisi agatur de causa attinenti ad bonum publicum.

Sententia vitio nullitatis insanabilis laborat, si oriatur ex incompetentia absoluta iudicis; ex iudice qui careat potestate iudicandi; ex iudice coacto vi vel metu; ex iudicio facto sine iudiciali petitione vel non instituto adversus aliquam partem conventam; ex incapacitate standi in iudicio etiam in alterutra tantum parte; ex defectu legitimi mandati; ex denegatione alterutri parti de jure defensionis; cum controversia ne ex parte quidem definita est.

Nullitas est sanabilis si omissa est sollemnitas lege ad validitatem requisita, scilicet legitimus iudicum numerus, indicatio rationum, subscriptio, indicatio diei et loci, legitimus actus iudicialis, declaratio ne contra partem quidem legitime absentem.

Contra sententiam insanabiliter nullam actio nullitatis moveri potest per querelam nullitatis et intra decem annos a die publicationis sententiae.

Contra sententiam, quae vitio sanabili laborat, proponi potest querela nullitatis intra tres menses a notitia publicationis sententiae.

Querela nullitatis contra vitia insanabilia proponi autem potest per modum exceptionis et coram quolibet iudice.

Querela nullitatis, quae est remedium ordinarium, una cum appellatione praeterea proponitur coram iudice superiore, et quoque interponi a promotore iustitiae vel defensore vinculi potest.

Codex concedit ipsi iudici sententiam oppugnatam suam retractandi et emendandi intra terminos supra definitos.

Causae de querela nullitatis tractari possunt secundum normas de processu contentioso orali.

ANNOTATIO: In causis quae bonum privatum vertunt agit ope legis sanatio actuum vitiosorum post sententiam exclaratam; series nullitatis casuum finita est; tempora actionis novata sunt.

DE APPELLATIONE: Appellatio est provocatio ab inferiore iudice, qui sententiam tulit, facta ad superiorem, sententiae corrigendae aut infirmandae causa.

Ius appellandi competit parti, quae sententia se gravata putat, itemque promotori iustitiae et defensori vinculi in causis.

Non est locus appellationi:

- sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae;
- sententia vitio nullitatis infecta;
- sententia quae in rem iudicatam transit;
- decretum iudicis vel sententia interlocutoria, quae vim sententiae definitivae non habeant;
- sententia vel decretum in causa de qua jus cavet expeditissime rem esse definiendam.

Appellans, sive gravatus sive appellator, dicitur «interponere appellationem» contra appellatum, coram iudice a quo sententia lata est et «appellationem prosequi» coram iudice superiore ad quem dirigitur, in superiore instantia seu gradu.

Appellatio interponenda est intra quindecim dies a notitia publicationis sententiae. Quod si ore fiat, notarius eam scripto redigat coram ipso appellante.

Quaestionem de iure appellandi expeditissime Tribunal appellationis videat, iuxta normas processus contentiosi oralis.

Si in appellationis libello Tribunal non indicetur, provocatio praesumitur facta Tribunali Metropolitano vel Tribunali ab episcoporum Conferentia constituto.

Iudex appellationis provideat ut appellatio prosequenda sit intra mensem ab eius interpositione et procedit eodem modo quo in prima instantia.

Non potest admitti nova petendi causa, ideoque litis contestatio tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur vel reformetur ex toto sive ex parte.

Elapsis fatalibus appellationis, deserta censetur appellatio.

Appellatio facta ab actore prodest etiam convento, et vicissim.

Appellatio ab una parte facta censetur ab omnibus.

Pars adversa potest super aliis capitibus incidenter appellare intra quindecim dies, a quibus ipsi appellatio principalis notificata est.

Ad ultimum, appellatio – nisi aliud constet – praesumitur facta contra omnia sententiae capita, et executionem sententiae suspendit.

Appellantes renuntiare appellationi possunt.

ANNOTATIO: Animadvertitur imminuta numeratio sententiarum sine provocatione; longius spatium temporis datum pro fatalibus appellatoriis; examen iudicis ad quem de iure appellandi; ratio praeventionis quoad Tribunalium gradus.

De re iudicata et de restitutione in integrum (1641-1648)

Res iudicata definitur sententia definitiva quae infirmari nequit.

Quaedam causae in rem iudicatam numquam transire possunt, nempe eae quae de personarum statu sunt, idest de vinculo matrimoniali, sacrae ordinationis, professionis religiosae.

Res iudicata habetur:

- si duplex intercesserit inter easdem partes sententia conformis;
- si appellatio non fuerit proposita adversus sententiam intra tempus utile;
- si in gradu appellationis instantia perempta sit vel eidem renuntiatum fuerit;
- si lata sit sententia definitiva a qua non datur appellatio.

Res iudicata facit jus firmum, dat actionem rei iudicatae ad obtinendam sententiae executionem et exceptionem rei iudicatae ad impediendam novam eiusdem causae introductionem, impugnari potest directe per restitutionem in integrum, etsi executionem sententiae non suspendit nisi lex aliter caveat.

Post duplicem sententiam conformem in causa de statu personarum potest quovis tempore provocari nova propositio ad Tribunal appellationis novis gravibus probationibus vel argumentis intra terminum triginta dierum a proposita impugnatione allatis.

Tribunal appellationis intra mensem decreto statuere debet utrum nova causa admitti debeat necne.

Restitutio in integrum est «remedium juris extraordinarium quo graviter laesus ex naturali aequitate per officium iudicis reducitur in eum statum juris in quo fuerat ante laesionem» (Lega: «De iudiciis» I, n. 696).

Ut remedium istud contra rem iudicatam concedatur, requiritur evidentem iniustitiam rei iudicatae manifesto constare.

Cuius evidētia, condiciones vero sequentes sunt:

- aperta falsitas probationum quorum sententiā nititur;
- documenta quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent;
- iniusta sententia ex dolo partis in damnum alterius prolata;
- evidens neglectus legis praescripti, etiam processualis;
- sententia adversa praecedenti decisioni quae in rem iudicatam transierit.

Iudex competens ad concedendam restitutionem in integrum propter motiva in primis tribus casibus est ille qui sententiam tulit. Quo casu restitutio petenda est intra tres menses a die cognitionis motivorum.

Iudex competens ad concedendam restitutionem in integrum propter motiva de quibus in ultimis duobus casibus est Tribunal appellationis intra tres menses a notitia publicationis sententiae.

Termini de quibus supra non decurrunt quamdiu laesus minoris aetatis sit.

Petitio restitutionis in integrum executionem sententiae nondum suspendit.

Si tamen petitio sit ad moras executioni nectendas, iudex decernere potest eam suspendere post idoneam cautionem, petenti assignatam.

Restitutione concessa, iudex de merito causae pronuntiare debet.

De expensis iudicialibus et de gratuito patrocinio (1649)

In foro ecclesiastico administratio iustitiae gratuita quidem est; occurrunt tamen expensae quae sustinendae sunt a litigantibus. Pauperes, si in totum impares sint expensis iudicialibus sustinendis, jus habent ad gratuitum patrocinium; si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem.

Mensuram seu taxationem expensarum iudicialium definire est Episcopi, cuius est Tribunal moderari.

Episcopus statuatur normas de expensis iudicialibus solvendis vel compensandis, de indemnitatem testium deque honorariis advocatorum et peritorum, de gratuito patrocinio vel expensarum deminutione, de damnorum refectione, de pecuniae deposito vel cautione praestanda.

A pronuntiatione circa supra dicta, distincta appellatio non datur, sed pars recurrere potest coram eodem iudice intra quindecim dies.

De executione sententiae (1650-1655)

«Executio est actus iudicialis quo victori vere praestatur quod per sententiam obtinuit» (Wernz, *De processibus*, n. 657).

Quamdiu sententia in rem iudicatam non transiit, ea firmitate non gaudet quae definitivam executionem permittat; quare provisoria tantum permittitur, ubi gravis urget necessitas. Executio sententiae edicitur decreto speciali iudicis, quod in ipso sententiae tenore includitur vel separatim, praestitis idoneis cautionibus. Si sententiae executio praevidiam rationum redditionem exigat, causa incidens habetur ab illo ipso iudice decidenda, qui tulit sententiam mandandam executioni.

Sententiam manifesto iniustam exsequi non tenetur.

In primis sententiae executor est Episcopus dioecesis in quo ea primi gradus lata est; quod si ipse renuat, executio spectat ad auctoritatem Tribunalis appellationis.

Inter religiosos executio sententiae spectat ad Superiorem, qui definitivam sententiam tulit.

In actione reali, res iudicata actori est quam primum tradenda; in actione vero personali conceditur pro implenda obligatione terminus, qui tamen neque infra quindecim dies coarctetur neque sex menses excedat.

De processu contentioso orali (1656-1670)

Processus contentiosus oralis nuper in Codice receptus est, quare rem novam repraesentat maximi momenti.

Processu de quo omnes causae a jure non exclusae tractari possunt, nisi partes ordinarium petant; itaque processu orali exemptae sunt causae matrimoniales, poenales et sacrae ordinationis.

Audientia iudicialis est unus processus locus.

In primo gradu fit coram iudice unico, qui duos assessores sibi consulentes asciscere potest.

Pars exhibere debet libellus quo lis introducitur cum documentis quibus petitio innitur.

Conatus inutiliter conciliationem, aestimato libelli fundamento, iudex intra tres dies praecipiat per decretum ut exemplar petitionis convento notificetur. Conventus facultatem ad Tribunal mittendi habet responsionem scriptam intra quindecim dies; exceptionibus conventi actor respondere potest. Elapsis terminis supra dictis, iudex formulam dubii determinat; dein non ultra triginta dies omnes ad audientiam citat.

In audientia probationes colliguntur, responsiones vel petitiones vel exceptiones summatim scripto redigendae sunt, discussio oralis fit. Si in prima omnes probationes colligi non potuerint, altera audientia statuatur.

Nisi quid existat quod impediatur, iudex – expleta audientia – illico causam seorsum decedit et sententiam statim partibus praesentibus legitur. Potest autem Tribunal usque ad quintum diem decisionem differre propter rei difficultatem vel iustam causam.

Tribunali appellationis competit nullitatem sententiae declarare, si perspiciatur processum contentiosum oralem esse adhibitum in casibus a jure exclusis.

In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, servantur praescripta de iudicio contentioso ordinario.